



CAPUT III.

DOMICILIA SOCIETATIS & MISSIONES IN NOVA FRANCIA.

ET esse cum servis suis, ac militibus
Dominum, exitus comprobavit.
Nam hoc anno MDCCIII. ineunte,
cum hæc scribimus, præter Quebecense
collegium, numerantur in hac *terra de-*
serta prius & *in via* triginta & amplius
florentissimæ cultissimæque Missiones
nostræ Societatis. Prima in conspectu
Quebeci, decimo ab urbe lapide,
Lauretana dicitur. Altera in pago
Tadussaco fedet: ad ripam fluvii Lau-
rentiani, leucis infra Quebecum LX.
versus ortum. Tres aliæ supra Que-
becum ipsum, longe procurrunt in
Boream, circa lacum S. Joannis: una in